

*Bibliothèque numérique*

medic@

Enguehard, Jean-Baptiste - candidat /  
Vergne, Claude - président. - An  
variolis vomitus ?

1706.

*Paris : Apud Viduam Francisci  
Muguet, Regis & Facultatis  
Medicinae Typog.*

*Cote : ms 2325 n°12*

I<sup>U</sup>

QUÆSTIO MEDICA,  
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
MANE DISCUTIENDA  
IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigesimâ primâ Januarii 1706.

M. CLAUDIO VERGNE,  
DOCTORE MEDICO,  
P R A E S I D E.  
*An variolis vomitus?*

I.

**V**ARIOLÆ nunc privatus, nunc popularis morbus, semper contagiosus homines indiscriminatim adoritur. Aggressionis comes labor ingens & varius, oris fastidia, nauseæ, vomitus, aqueobiliofa alvi dejectio, molesta lassitudo lumborum, pectoris angustia, capitis dolor, vigiliæ, mentis aberrationes, terriculamenta, altus interdum sopor, horum omnium parens malè morata febris: hæc nonnisi tertio quartove die solvitur. Finis unius mali gradus est futuri. Faciei cutis rubentibus antè punctis intus maculosa subobscurè, nunc prominulis extusasperatur prima, dein universa: fit asperior sensim, grandioribus efflorescit papulis quæ ex latiore & rotundâ basi molliter acclives desinunt in acumen: crassescunt æquabiliter quoque die, sexto summè tenduntur piso paululum crassiores, calent impensè rubentque phlegmones æmulæ. A vertice ad calcem igneo corporis habitu uritur infelix æger, nescit stare loco, dolet quocumque incumbit, huc illuc volvitur anxius, insomnis, sitiens, anhelus, sic fætens ut sibimet sit gravis, sic deformis ut amicis notus nomine tantum, sic pruriens ut unguibus ora fædet. Tot actus malis animi pendet quorsum evasura sit recrudescens febris difficilis judicii, ancipitis eventus: utrumque definit pustularum in pus mutatio, eò laboriosa & ominosa magis, quô plures, minores, duriores, planiores, decoloratores: nunquam felicior quam cum levata est serò ocyùs oneris parte natura, cuius alioquin mole pressa fatiscit.

## II.

**I**N G E N E R A T U M homini beneficium cui sufficit ætas vim nōcendi & variolas proferendi , commentum : vitio non vertit matribus tam detestata lues : ut ut latè diffusa per miseros mortales, non à sanguine materno sed iniquo rerum non naturalium usu communi morborum fonte primulūm petenda. Omni quidem tempore se prodit reliquorum instar , vere magis & autumno : singulas corripit ætates , juniores crebriùs , rariùs proiectas : has inclementer agit , illis plerumque sic benigna ut optabilis ferè sit ; adeo pueritiæ vitium excoquit omne & inutilēm humorem absumit. Hic uberior in pueris , mitior , aquosior ; paucior in cæteris , immittior , falsior. Flamma vitalis ubi primūm micat moliori lambit calore viscera , humidioris pascitur alimenti cremore , torpet otio somnoque longioribus ; lapsu temporis invalescit , acuitur motu & vigiliis , pabulo nutritur firmiore , elicit ex eo mersam altè falsuginem. Dispar est igitur pro gradu vitalis ignis & alibilis succi conditione corporum humor , sale plus minūsve fœtus , ex sè mobilis , fluidus , tenuis , effervescente pernix. Vi & mole auctus præter modum , sponte seu ~~æg~~ φαστο , æstuoso vel austriño cælo , halitu putri , timore subito velut æstro percitus fervet ac turbas movet in sanguine cuius vehiculum est , ipsum è solitâ dimovet compage ac in motum agit inordinatum. Hunc componit tutò qui medicamento purgante , quām citissimè potest , sus deque demetit lascivientis istius humoris luxuriem : ejus impetu vacuatione decenti fracto sanguis animosior insurgit adversus reliquum & in habitum corporis totum feliciter protrudit.

## III.

**M**E D I C A R I statim humorē desultorium mosfuit divino seni , tardare religio ne prætervolaret occasio. Exlex & efferus humor celeri quo rapitur motu non patitur moras , nulli non molestus minitans que parti ni protinus ex omni revellatur. Conveniens est huic revellendo ventriculus in quem arietans æstu continuo sanguis seditionis civis exitum molitur. Tum vomere confert si quæ ducere oportet , ducenda sint eō , quō maximè vergunt. Vomitus in morbis usūs felicitate probatus Hippocrati , plerisque est rationis anticipatione suspectus , & à quo pericli nil ægris alias , periculosæ nunc aleæ plenus perhibetur. An alia tempora alios postulant mores ? An obsolescent ævo inclinante medendi leges & quam per usus varios artem fecit ac perficit in dies experientia , rationis subtilitas innovare potest ? num potiùs , ut artes per addimenta fiunt , ditanda est observationum serie medicina , amplianda ejus jura , non suspicionum iniquitate coercenda. Vix notus hodie , non infrequens licet orgasmus , vix unquam præsensa nimetas humorum , malitia , cruditas , in partem determinata motio , à quibus impendentes in

5

gravioribus morbis casus purgando præverterunt summi medicinæ ducēs. Magna sunt hæc præpropera purgationis exempla, documento futura posteris si veterum ritu, quid movendum sit acutorum initio, quibus, quando, quomodo & qualiter conveniat, observando primū dein ratiocinando sollicitè perquirant. Morborum phases certam præ se ferunt eorum magnitudinis, moris & motūs imaginem: qui hanc intuetur non oscitans observator, habet in prospectu vim venturæ tempestatis, in conspectu causam quam cautâ festimatione rescindit. Se offert hinc ca-cochymia, inde plenitudo pariter formidandæ, utriusque sic prospicit ut illius cura prima sit alioquin præpostera. Hæc lex tenenda præsertim in acutis quos invehit catuliens humor & variolas aut qualiacunque sint ecsthytata profert.

## I V.

**O**PPORTUNITAS in variolis magna vomitūs à quo facilitas erumpendi, suppurandi securitas & læta venit cum cutis nitore victoria. Humor effrāenus, multus & putris fuit ergastulis inclusus, iisdem vomitūs ope solitus mitescit: ut fusa cohors vincenti cedit naturæ quæ valens & integra debilitatum & imminutum copiis hostem mittit sub jugum & in pomœria corporis excludit. Detentus ibi moratur languens & enervis, donec agmine facto redivivus pugnam redintegret brevi prosterendus. Arduum opus coctio ubi coquendus superfluit humor, cuti substrahitur ob iniuriam loci dimidiatus, superstes cum sanguine confunditur. Quantus inde naturæ labor & extra & intra nativos lares? Sanguis in cutem incurrit continuo fermentationis ac circuitūs nisu quo se despumet & intrudat noxam quam circumfert, cute ubique tensâ percussam combibit rursus & in penetralia refert graviter nocitram: Hinc caput delirium, fauces strangulatio, pectus angustia, ventriculum sitis urens, nausea, vomitio, alvum liquida dejectio fatigat, obrutus ineluctabili sarcinâ sanguis remittit de motu quo vigente calent, raffiunt, inflantur pustulæ; elangescente frigent, flaccescunt, corrugantur; deficiente vita cum morte commutatur. Hæc in variolis saepius improvisa clades avertitur festino vomitu cuius operâ salutari nitet unâ cum alvo immundus illuvie ventriculus, vasa ferocientis humoris superfluitate vacua detumescunt, sanguis sui juris factus, motūs libertati redditus quidquid noxiæ supereft, ad corporis ambitum paulatim amandat integrè maturandum, sponte desquamandum.

## V.

**Q**UISQUIS igitur variolis tutò mederi cupit, præterire non sinat earum anteambulonem orgasmum quo sæiente seditiosus humor pulsat ventriculi ostia, arte reclusa subit impetu facto foras erupturus. Quantum molis vomitione, tantum & ipsi detrahitur nocendi facultatis

4  
 cujus reliquias sanguis facilè subigit intestino motu & in loca conferentia circumēundo trudit propriæ vindex puritatis indefessus. Qui venam tun-  
 dit in orgasmo , coërcet quidem præsentem sanguinis tumultum at male  
 tutus , imprudens ac incautus futuri : ut comprimat orgasmi furores ,  
 pericula non præcavet sanguinis missio , sed tumultuantis humoris reje-  
 ctio : illa redundanti plenitudini occurrit , hæc peccanti cacockymiae ex  
 quâ superstite & confluentium variolarum damna & quod pejus , cala-  
 mitates suppurationis emergunt. Ubi pus incipit fieri , fervet ac cum eo  
 sanguis ; pustularum oris jugiter allabens eas certo fovet caloris gradu  
 & modo , alterat , digerit , immutat , donec colore , systasi & substantiâ  
 penitus versis earum maturitas & sanguinis malacia consequantur. Quid  
 fiet si æstuosus sit præter modum sanguis nec tam pustularum viciniâ  
 quâm putridi humoris misturâ incandescat ? ut fructibus perniciem solis  
 ardor immodicus , sic enormis æstuatio inquinati sanguinis gangrænam  
 pustulis certissimam infert. An negligenda sanguinis missio post vomitum  
 in variolis ? quin acceleranda potius ut liberior cursus , expeditior trans-  
 piratio sanguini concilientur. An apparentibus adhuc tempestiva ? quasi  
 verò earum objiciat auctui obicem quæ bijugi sanguinis motus dimovet  
 moram. Utrumque juvat in variolis expedire non incitare : qui liberè cur-  
 renti subdit stimulum , non addit vim sed exhaustit. Procul volatilia , pro-  
 cul potio quævis , aér , cubile , incendiaria : quæ messis exultâ semente  
 sperari potest. Apage à cute sordidata indusia : non impunè tangit hanc  
 tetra mephitis , non injucundè tergit circumfusa mundities. Veniant  
 in usum tempore & loco pro ægrotantium naturâ vinum & alimenta boni  
 succi , facilis coctionis , quæ sola sufficiunt sanguini vigorem quo se des-  
 pumet & desideratos spiritus infundunt.

*Ergo variolis vomitus.*

Domini Doctores disputaturi.

*M. Petrus le Tonnellier.*

*M. Joannes Gaillard.*

*M. Matthæus Dionysius Fournier.*

*M. Carolus Thuillier.*

*M. Jacobus Souhait.*

*M. Carolus Bompard.*

*M. Ludovicus Morin.*

*M. RAYMUNDUS Finot.*

*M. Matthæus Thuillier.*

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA ENGUEHARD,  
 Constantiensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.

---

Apud Viduam Francisci Muguet , Regis & Facultatis Medicinæ Typog.